Proszowiani Simonis: Ode de annunciatione, conceptione et nativitate Jesu Christi.

s. l. et a.

ODE DICO-LOS, DISTROPHOS, DE Anunciatione, Conceptione, & natiuitate Iesu Christi. M. Simõis Proszouiani, carmine, Saphico pentametro, & adonio dimetro, concinata &c.

Eiusdem M. Si. proszo. carmen apophoreticum ad spectabilem virum ac magnanimũ Iostum Ludouicum decium secretarium regni Poloniæ, necnon senatorem Cracouianũ carbariumꝗ; vięlicień. &c.

Quisq; suo, mitti patrono, siue sodali
Dona, sacro, natalis redeunte, die,
Hic chlamydem tyrio condonat, murice tinctam
Ast alter nummos donat & alter ouem
Sic mutuo certant, iuuenes, teneræq; puellæ
Sic celsi reges, Magnanimiq; duces
Sic clari ciues certant atq; ignobile uulgus
Fautorem donans munere quisq; suum
His etenim cupiunt quô fiat faustier annus
Et crescat ueræ pignus amicitiæ
Hæc igitur, paruæ, ne spernas munera musæ.
Et tu mœcenas candide quæso, meæ
Sic eat hic præsens totus tibi faustier annus
Et ualeas fœlix tempus in omne uelim.

Spectabili uiro ac magnanimo D. Ioſto Ludouico decio Secretarió re/gni poloniæ necnon Senatori Cracouiano carbarioq; vijelicień. M. Simon

εὐ πράττειν

CVM HIS SACRIS DIEBVS, OCIOſus Valerij maximi, libros, fortè fortuna reuoluerem, incidi in factum olim præclari ciuis & ſenatoris Romani, cuius tu nomen refers preclare deci qui neglecta cum ſalute tum & maieſtate ſe ſe pro ſalute R. P. deuouerat, cœpit animus ſenſim ſe ſe erigere meus ad contēplandam pietatē celſioris decij Ieſu Chriſti, qui etiā ſede paterna neglecta ac maieſtate, corpus ſumēs mortale ꝑ noſtra ſalute ſe ſe deuouere dignatus eſt, atq; de ea re ludens, carmē zaphicum concinaui, quod ut in lucē prodeat ſub tuæ celſitudinis patrocinio dignū mihi profecto uiſum magnanime Ludouici, quo uel ex tuo nomine in perpetuum ut & tuum nomen ex eis uiuere poßit, ſed quid dixi uiues in perpetuum magnanime deci uel opera tua: qua eciā ut ille cuius tu nomē refers non uulgum à morte corporali ſed reges polonum ab obliuione eterna liberaſti, lingua docta manu diſerta ſed quid fruſtra uerba perdo, maior laus tua quàm dicere mea lingua tenuis poßit, Suſcipe igitur hanc noſtram quantulamcumq; muſam, mœcenas ſtudioſorum, digniſsime frōte ſerena, id ſi intellexero, calcar addes ut maiora in tuum decus perpetuū propediem exeant Vale Cracouiæ xij. calendrs februarias. Anno. 1535.

Te dei patris generoſa proles
Qua nihil mundus potuit uidere
Celſius feruent mea labra ſapphus
Pangere cantu,

Sed rudis porro cerebri medulla
obſtat, ut ſcita nequeam minerua
O decus cœli niſi tu faueris
Dicere carmen.

Ergo qui cœtus uolucrum ſubornas
Atq; ſerpentum gracili ſuſurro
Et mihi quæſo tribuas ſonoros
Carminis orſus,

Quo tui poſſem uenerande factor
In genus noſtrum meminiſſe amoris
Ob quod, & terras, fragili recepta
Carne, ſubiſti,

Cum deus mundi ſolidam creaſſet
Machinam fingens uarias figuras
Aureum cœlo ſtatuens nitorem
Cuncta regentē,

Et feras terræ pariter fluenta
Moncium uenas calibem metalla
Et quod in mundo tereti uagatur
Spirat & alto,
Aedidit uultus hominis decoros
Intulit tandem nimium beatis
Sedibus, uitam tribuens perhennem
Abſq; ſenecta,
Vſui quæcunq; nemus teneret
Tradidit, ligno uetuit, ſed uno
Poma ne carpat manibns prophanis
Eliſiorum,
Vt ſciat perferre dei uerendi
Iuſſa, ſubiectum quoq; conditori
Eſſe, ſed ſpreuit ſtolidus ſuperni
Verba tonãtis,
Et rapit, fructus uetitos, dracone,
Inuido ſuadente mali boniq;
Poſſe ſi mandet uetitas ariſtas
Noſcere leges,

Hinc miſer mortis ſubijt capiſtra
Et genus totum ſimili flagello
Subdit humanum & laqueis chelidri
Implicat excors,
Heu gulam natis nimium nocentem
Qua parens primus cecidit repente
Et bonæ mentis niueum decorem
Perdit iniquus,
Hoc pius ſpectans hominum creator
Indolet duris manuum ſuarum
Plaſma, ſub uinclis miſerum ligari
Heu ſine fine,
Poſt ait nunquam ne meum reſurges
Plaſma ſed neruo fragili creatus
Vix homo a lapſu poterit ſuapte
Surgere contra.
Hem decet plaſten penitus iuuare
Plaſma, facturamq; ſui iacentem
Ne ſit in riſum ſtygiæ chimeræ
Tempus in omne,

Mox iubet quendã superum toparchã
Vt ferat præpes mariæ salutem
Et dei matrem doceat futuram
Absq; marito,
Angelus terras uolitans beatam
Nazareth uenit celeri uolatu
Ac statim clausum penetrat cubile
Virginis almæ
Et uidet libros humilem puellam
In sinu tractare suo prophetæ
Admouens gressum propius salutem
Actipe dixit,
Hunc uidens uirgo timuit Maria
Mente consternata nimis reuoluit
Quid sibi uerbum uelit hoc quod audit
Angeli ab ore,
Ille solatur pauidam uerenter
Virgo præ cunctis ueneranda dicens
Quæso ne quidquam timeas tonantis
Plena fauore,

Te capit summus pater in parentem
Filio quem concipies mariti
Nescia & certa paries sub hora
Intemerata,
Accepit tandem benedicta uirgo
Nuncium dicens, quoniam superno
Sic placet regi famula ecce præsto
Absq; mora adsum,
Hinc sinus sanctum tumuit sacrato
Spiritu sacros operante fœtus
Vt deus mundum subeat recepta
Carne caduca,
Iam caput clarum nouies sub undas
Merserat sydus triuiæ uagantis
Et iubar mensis decimi trahebat
Fronte serena,
Cancer in cœli medium subibat
Sole sub limbo gradiente terræ
Et suos currus agitante iuxta
Sydera capri,

Cum domus staret ueneris sub ortum
Solis, ac spirans aries calorem
Versus occasum radiaret alta
Regna polonum,
Tum subit mundum soboles tonantis
Quam prophetarum numerosa turba
Affluens olim cecinit futuram
Numine flatus,
O dies cunctis memoranda seclis
O dies fœlix niueo lapillo,
Digna, qua summi soboles tonantis
Prodit in orbem,
En puer summo similis parenti
Hic iacet uili stabulo repostus
Ecce bethleis genitus sub oris
Nocte profunda,
Virgo mirabunda nimis supremi
Aspicit natum, patris abrogata
Sede sub flatu recubare aselli
Atq; iuuenc,

Audit hinc diuos tremula sonantes
Voce, pax puris animis benigna
Et deo patri genitoq; summa
Gloria constet,
Nunciat tandem timidæ cohorti
Angelus dicens ouium magistris
Ora uisuri properanter ite
Cunctipotentis,
Mox iter cuncti celerant in urbem
Et uident natum, Mariæ sub ulnis
Ore libantem niueas papillas
Matris amandæ
Tum genu flexo latitans adorant
Numen humana in specie, reuersi
Ad suas caulas, celebrem refundunt
Vndiq; famam,
Igneum uidere eadem cometam
Nocte, lucentem radio chorusco
Et statim reges iubar adloquuntur
Insolitum hoc est,

Mox manum ten dens senior subinquit
Regis est signum penitus nouelli
Virgo quem quondam cecinit Sybilla
Quid remoramur,
Lora soluentes solymos penates
Commeant regiq; nouo dedere
Dona, thus myrrham pariter metalla
Aurea proni,
En magus Christum rutilantis auri
Dona, dum defert uoluit notare
Principem cœli maris atq; terræ
Esse potentem,
Et deum monstrat redolente thure
Quo solet mystes decorare festa
Attamen mortalia membra signant
Munera myrrhæ,
Sed quod, ostendere magi sub umbra
Id palam in factis domini reluxit
Nam ducem sacrum cecinit beata
Vrbs solymarũ,

Et throno, dignum populus salutat
Regio, quondam saciatus apte
Panibus, quinis, uacuis sub aruis
Assyriorum,
Et lacus, sensere deum profundi
Quos frequens siccis pedibus premebat
Sensit & mutus modulis loquellæ
Rite receptis,
Debilis, claudus, gelidæq; morti
Iam datus, lucas ueluti reliquit,
In suis libris, calamo disertus,
Antiochænus,
Sensit & dæmon stimulos potentes
Heic manu Christi nimium frequenter
Tortus, & tandem iugulo ligatus
Sub scrobe nigra,
Nec minus, mortis laqueus seuerę
Sensit, ex eius siquidem catastis
Liberat cunctos, moriens, fideles
Morte cruenta,

Sensit & limbus gemebunda patrum
Vnde deduxit dominus potenter
Corda, sublimis repetens iu auras
Carcere fracto,
Orbium sensere nouem micantes
Ordines, quorum foribus reclusis
Ibat, in summi solium parentis
Carne triumphans,
Et feræ, quarum cynosura prima
Dicitur, necnon helices secunda
Ac draco curuus, geminas receptans
Ventre sub ursas,
Sentit obliquus pauitatq; cœli
Circus, & uotis elementa quæque
Annuunt, sacris pedibus subacta
Ordine miro,
Nec genus nostrum dubitat profecto
Te deum uerum hominemq; purum
Esse, qui dexter residens parenti
Christe superno,

Heic regis tanquam dominus creata
Cuncta conseruans reficis benignus
Cuius in uirtute perennat omnis
Machina mundi,
Et tua, prorsus stygíj fatemur,
Morte, plutonis superasse regna
Et sacras sedes penetrasse olympi
O sator alme,
Propter hoc grates tibi tota soluit
Concio, summi soboles tonantis
Cristidos, mundi spacium per omne
Omnibus horis,
Hoc senum turbæ tremulis labellis
Hoc sonant pictæ iuuenum cateruæ
Hoc canunt passim teneræ puellæ
Supplice uoce,
Sit deo patri genitæq; proli
Fama, laus nullis moritura seclis
Et tibi compar deitate utriq;
Spiritus alme

Nõ habeo quoniã nummos,uasa aurea,mẽsas
Quas ornant,gemmæ,sub quibꝰ albet ebur
Nec mea centenis insurgunt tecta columnis
Nec domus antiquis fulget imagininibus
Prædia,nec grauidas cereris mihi mũus aristas
Producunt uites,nec mihi bacche tuum
Nec meus est ostro sonipes,nec,splendidꝰ,auro
Nec nitet in digitis plurima gemma meis
Insanum me cerdo uocat,sutorq; faberq;
Insanum diues, qui caret ingenio
Accusat,mordet,lacerat,damnatq;, fugatq;,
Nec me parnasus, nec sua templa iuuant
Nobilis est tantum diues, magnusq; potẽsq;
Solus habet socios,solus in urbe ualet
Laudatur petitur colitur,celebratur, amatur
Est prætor solus,est quoq; solus eques
Sed meritis hominum si diuiderentur honores
Insanum qui me, qui sine mente uocant
Insanos se se : se se : sine mente uiderent
Solus honor merito qui datur,ille datur



Homo missus a deo cui nomen in omnibus

in omnibus [illegible] virtutibus [illegible]

fuerit in Innocens domini

0